

XIX. Explicans etiam fundamentum a quo causatur ista unio in III, distinct. V, quæst. I, artic. I, dicit quod: « Unio est quædam actio, vel passio, qua ex multis efficitur unum, et hanc actionem sequitur hæc relatio, quæ est unio: » et in hac quæstione II, artic. VIII, dicit: « Quod unio importat relationem quamdam; omnis autem relatio, quæ incipit esse in tempore, causatur ex aliqua mutatione; mutatio autem consistit in actione, et passione. » Quid sit autem unio pro passione, declarat S. Thomas in tertio ad Annibaldum, distinct. V, artic. III: « Quod sit dependentia naturæ assumptæ ad assumptam. » Igitur secundum D. Thomam omnis modus, qui sit medium causans formaliter unionem relegandus est ab hoc mysterio, et solum ponendum est pro fundamento ipsa mutatio naturæ assumptæ, qua passive trahitur, et fit dependens a Persona Verbi, in qua acquirit unum, et idem cum Verbo.

XX. Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex duobus. Primo, ex impossibilitate talis modi absolute: secundo, ex superfluitate ejus, quia explicari non potest, quem effectum formalem faciat in natura. Et primum, scilicet ejus impossibilitatem deduco; tum generaliter, quia ad unionem formæ in materia, vel ejus quod se habet ut forma, impossibile est quod informatio fiat mediante aliquo modo superaddito formæ, vel materiæ; ergo et unio. Consequentia patet, quia per informationem forma est materiæ, et materia formæ, et quidquid informationem antecedit, non supponit hanc esse illius, nec dependentem materiam a forma: per solam autem informationem fit dependens, quia per solam informationem fit causata formaliter; ergo et dependens formaliter; ergo non datur unio nisi per

informationem, sicut nec dependentia, nec causalitas.

XXI. Antecedens vero probatur, quia informatio est immediata communicatio formæ; et effectus formalis est passiva communicatio formæ: sed ad effectum formalem in subjecto non requiritur modus superadditus, aut medians inter formam, et materiam, si quidem forma per seipsam est forma, et non per modum: ergo per se informativa et non per modum, et per seipsam immediate proportionata materiæ, seu subjecto; alias intrinsece in se forma non esset. Ergo ut det effectum formalem subjecto, nihil medium requiritur inter ipsam, et materiam, sed facta applicatione a causa efficiendi, ipsa forma per se ipsam informat, quia per seipsam forma est, et non per modum additum. Sicut causa efficiens per suam virtutem causat, non per superadditum modum, et effectus formalis est ipsamet forma, ut subjectum informans. Ergo posita hac informatione nullus alius modus requiritur, qui sit medium ad informandum; alias effectus formalis non esset ipsa formæ communicatio, sed aliquis alterius præter formam. Verbum autem divinum licet non sit forma informans respectu humanitatis, est tamen terminus, et esse personale humanitatis; ergo per se ipsum dat suum effectum formalem terminandi, et personandi, et non per aliud medium, alias per seipsum non esset persona, et terminus humanitatis, nec diceretur humana natura formaliter personata, et terminata Verbo.

XXII. Specialiter autem hoc urget: Quia modus iste supernaturalis est, et facit humanitatem transcendentaliter relatam ad Verbum, et non accidentaliter, in hoc est repugnantia. Licet enim verum sit, quod possit entitati naturali addi termi-

nus, seu modus supernaturalis accidentaliter ei conveniens, sicut modus sacramentalis præsentia corporis Christi, et sicut virtus supernaturalis, verbi gratia charitas imperat naturali, eique imprimere potest aliquem modum supernaturalem, tamen quod aliquis modus supernaturalis imprimatur, qui relinquat entitatem naturalem, non accidentaliter, sed transcendentaliter, et substantialiter relatam ad Deum, videtur impossibile, quia substantialis illa, et transcendentalis relatio, quæ est secundum dici, debet esse intime imbita, et non accidentaliter adveniendi rei, quæ relata est: in hoc enim distinguitur relatio prædicamentalis a transcendentali, quod transcendentalis intime imbitur in quidditate rei, seu est ipsa entitas, ut dependens, vel ordinata ad alterum, et consequenter si humanitas per illum modum transcendentaliter, et substantialiter sit relatam ad Verbum, non autem accidentaliter, ille modus non potest esse supernaturalis, quia supernaturalitas accidentaliter debet esse, et non transcendentaliter conveniens ipsi humanitati. Itaque substantialiter convenire, et supernaturaliter relatio transcendentalis repugnat, ita quod humanitatem ipsam transcendentaliter, et substantialiter relatam reddat, sed relatio omnis illi conveniens, prædicamentalis esse debet.

XXIII. Ex alia autem parte difficile valde explicatur, ad quid servit ille modus substantialis, et quid habet pro effectu formali. Nam vel facit unitum formaliter, et hoc non, quia unio formaliter est relatio: et hic non inquirimus de effectu formali unionis, ut relatio, sed de fundamento relationis hujus, et quid ponat ille modus tamquam fundamentum. Vel secundo (ut dicit Suarez) ille modus excludit formaliter

subsistentiam creatam, quæ impossibilis illi est: vel (ut dicit Vazquez) ipse modus est actus suppositi terminantis, et sustentantis naturam, quatenus facit eam inexistere, et a se dependere: vel denique modus ille aliquid prævium est in humanitate præparans naturam illam, ut conjungatur, et uniatur Verbo.

XXIV. Primum esse non potest, quia subsistentia creata expelli non potest formaliter, nisi per aliam subsistentiam. Etenim per illam excluditur formaliter subsistentia creata, per quam suppletur, et quæ intrat loco ipsius. Unio autem non supplet subsistentiam creatam formaliter, neque loco illius intrat, nec sustentat naturam; sed id facit suppositum, seu subsistentia aliena, seu increata; ergo formaliter non excludit subsistentiam creatam, nisi ipsa subsistentia increata, non autem unio.

XXV. Et confirmatur, quia quando una forma intrat loco alterius, unio illius formaliter non excludit alteram formam, sed forma unita; ergo neque unio illa supernaturalis excludit subsistentiam, sed ipsa increata subsistentia, ut unita. Nec potest ipsa unio formaliter excludere subsistentiam creatam, nisi se habeat, ut forma habens eandem conditionem, et officium, quod facit subsistentia creata, si quidem forma excludens aliam debet excludere ea officia, et condiciones, seu effectus formales, quos facit alia forma; ergo cum unio ipsa, ut forma quædam est distincta a subsistentia increata, non sit formaliter supplens sustentationem, et terminationem subsistentiæ, quia non est subsistentia, consequenter neque aliam subsistentiam formaliter excludit.

XXVI. Restat ergo videre, an iste modus faciat illos effectus, quos dicit pater Vazquez: Et quidem si iste modus est actus proveniens ex ipsa

subsistentia in humanitatem; vel provenit ex ipsa subsistentia, ut unita, et conjuncta naturæ; vel antecedenter ad unionem. Si ut unita: ergo jam præcessit modus unionis, et consequenter iste modus resultans non est unio, nec aliquod medium inter naturam, et personam consequens formaliter unionem, sed consequitur ad ipsam personam unitam. Item actus ille proveniens a supposito terminante est quasi terminatio passiva, et effectus formalis illius; ergo est consequens ipsam unionem, et quasi informationem personæ, non autem unionem causans. Denique, hic actus terminationis suppositi est quasi causalitas ipsius personæ, non quidem informantis, aut efficientis, sed terminantis: ergo præter illam non est necessarius alius modus. Et hæc est sententia nostra, quod forma unitur materiæ informando, et materia recipiendo, et non exigitur alius modus superadditus, nec alia dependentia.

XXVII. Si autem ille modus est prævius in natura, ut uniatur Verbo, quasi per illum destinatur, et præparetur ad terminationem Verbi, non apparet quid ponat in illa natura talis modus substantialis. Neque enim addit majorem habilitatem, aut capacitatem naturæ, ut assumatur, si quidem omnis natura de se assumptibilis est secundum suam entitatem, non ratione supernaturalis modi. Sicut enim per se ipsam terminabilis est a propria subsistentia, sic etiam ab aliena supplente vicem ejus. Nec etiam addit aliquid pertinens ad esse substantiale, quia existentia, aut subsistentia in natura substantiali supernaturalis non est, sed vel habet propriam naturalem existentiam, vel ipsius Verbi. Nec denique est dependentia aliqua, aut terminatio a Persona Verbi, quia dicitur præpa-

rare, et destinare naturam, ut uniatur Verbo, atque adeo antecedit ipsam terminationem, et quasi informationem Verbi, atque adeo dependentiam ab illo, et ut ipse Vazquez notat, si præter illum modum requiritur alius, quo ipsa natura terminata sit a Verbo, ab eoque dependens, talis modus præparans necessarius non est.

XXVIII. Quare dicendum est unionem Verbi fieri, non per aliquid medium inter naturam, et Verbum, sed se ipso Verbum terminare, et supplere subsistentiam creatam terminatione sua, non medio modo unionis, sicut forma unitur materiæ media informatione sua. Et sic informatio, seu terminatio, et communicatio in uno, et eodem indiviso esse Verbi, fundat hanc relationem unionis, quatenus humanitas ipsa trahitur passive realiter ad esse Verbi, et in hac mutatione, quæ constat ex actione, et passione, quatenus fit communicatio ex parte Verbi, et tractio, seu dependentia naturæ humanæ ad ipsum fundatur relatio unionis, ut dicit sententia Cajétani, quæ etiam est communis inter Thomistas. Eam tenent Nazarius controversia VII, conclusione II; Alvarez hic disput. III; magister Medina ibidem quæst. II; et generaliter omnes sectatores moderni D. Thomæ, uno vel altero excepto; et Valentia etiam hic disp. I, quæst. II, puncto V; et ex antiquis Gregorius in I, dist. XXVIII, quæst. II; Baccotius in II, distinct. I, quæst. I, art. I, et in distinctione II, quæst. II, art. II; et Major in III, distinct. I, quæst. I.

XXIX. Quæ denique probari potest ab inconvenienti, quia si Pater, et Spiritus sanctus unirentur eidem humanitati, cui de facto unitus est Filius, producerentur alii modi substantiales, quod patet; tum, quia esset nova, et distincta actio unitiva cujuscumque Personæ, ut supponi-

tur: ergo sicut unio Verbi producit modum, quia est actio, propter eandem rationem actiones unientes alias Personas divisim producerent suos modos, quia non est major ratio; tum, quia natura est noviter realiter, et substantialiter unita, et terminata, et dependens ab aliis Personis, quæ sunt fundamenta alterius sententiæ: ergo etiam illi alii modi essent etiam fundamentum relationis unionis, sicut ponitur modus de facto in unionem Verbi; ergo essent in ista hypothesi tres relationes. Patet consequentia, quia ubi est distinctum fundamentum est distincta relatio, et sicut modus, qui de facto ponitur fundat unam relationem, quilibet modus fundabit aliam relationem.

XXX. Suarez concedit, quod multiplicarentur modi, et relationes in isto casu. Sed contra est difficilis auctoritas D. Thomæ in tertio ad Annibaldum, dist. I, art. V ad tertium, ubi inquit, quod in hoc casu: « Unio secundum rem, prout relatio est, esset una ex parte humanæ naturæ, quia accidentia ejusdem speciei impossibile est in eodem multiplicari secundum naturam; sed secundum rationem intelligentem tres Personas hac relatione referri, secundum pluralitatem Personarum essent plures ex parte ipsarum Personarum. » Ubi clare constat contra mentem S. Thomæ, Suarez, et eos qui cum illo relationes multiplicant, tenere; sed sicut unum album eadem relatione ad plura alba refertur; et unus pater unica relatione plures filios respicit: sic in hoc casu humanitas eadem relatione referretur ad tres Personas, sicut diximus supra quæst. III, disp. VII, de Persona assumente, articulo tertio.

XXXI. Si dicatur, quod est una relatio, restat quomodo in triplici fundamento fundetur: hoc est in

triplici modo unionis entitative distincto, quia implicat unum esse unius relationis in triplici unitate realiter distincta fundari, maxime quando quælibet est adæquatum fundamentum, et relatio est intrinseca illi; et sic erit intrinseca distinctis entitatibus.

XXXII. Et si dicatur, quod in uno solo modo fundatur, significetur ille, quia non est major ratio de uno, quam de alio: si vero dicatur, quod illæ relationes differunt specie, et etiam modo contra D. Thomam, impugnatur sic: Vel illæ perfectiones specificæ in modis, et in relationibus distinctæ, sunt æquales, vel inæquales; si sunt æquales, est contra rationem distinctionis specificæ in creaturis, quia species sunt sicuti numeri. Præterea, quælibet erit summa, et maxima, quia quæ de facto est, est summa, et maxima unio; ergo in ordine hypostatico erunt tres perfectiones summæ, et maximæ, et ultimæ; quod totum implicat increatis.

Tum, quia est reducere mysterium Trinitatis, ubi tres æquales reperiuntur ad creaturas. Et tandem, quia si hoc ponitur ad similitudinem Personarum unitarum, sequitur, quod sicut una Persona æquivalet tribus, et duæ Personæ non sunt perfectiores, quam una; ita in his modis, et relationibus summis, et æqualibus, unus erit æqualis duobus, et duo non erunt majores uno; imo eadem perfectio numero, quæ est in uno erit in aliis, et sic ponent id quod ineffabile est in mysterio Trinitatis, in rebus creatis.

XXXIII. Si vero sint inæquales in perfectione, inæqualitas ista non potest sumi a natura, sicut nec multiplicitas, sed a Personis. Cum ergo Personæ sint æquales, quomodo possunt inæquales modos, seu perfectiones causare, seu specificare, maxime cum æqualiter unian-

tur, et hæc ratio est efficax, sive dicatur, quod unio fit per perfectiones relativas, vel absolutam Personæ applicatam, vel quomodolibet ponantur uniri Personæ, juxta varios modos discurrendi in materia de Trinitate, et supra quæstione tertia de unione ex parte Personæ assumptis. Hoc inconueniens non reperitur in nostra sententia, quæ solum ponit pro fundamento relationis entitatem naturæ terminatæ per actionem unitivam, sine eo, quod addatur nova entitas, sed solum connotatio, et sic quamvis multiplicentur actiones, quia non multiplicatur entitas, non debet multiplicari relatio, sicut generans plures filios, unica relatione refertur ad illos.

SOLVUNTUR ARGUMENTA, SEU FUNDAMENTA OPPOSITARUM SENTENTIARUM.

XXXIV. Ad primum fundamentum respondetur, illam relationem fundari in aliquo reali, nempe in ipsa humanitate, ut realiter immutata, et passive tracta ad communicationem, cum Persona Verbi; et sic illa relatio non fundatur in aliquo increato, nec in sola natura humanitatis; neque in prædicatis ejus quidditativis, vel in potentia obedientiali nude sumpta, neque in aliqua entitate modali superaddita, ut per modum formæ uniat; sed in actione supernaturali unitiva, quæ relinquit modum passionis in humanitate, quæ nihil aliud est, quam naturam illam passive fieri dependentem a subsistentia Verbi, et in eodem esse communicantem, et sic agnoscimus modum superadditum, per modum passionis, vel actionis, non per modum formæ unientis.

XXXV. Neque ista relatio est rationis ex parte humanitatis, sicut

æqualitas, aut similitudo in divinis, quia non est omni modo entitas inter utrumque extremum, tamen etsi communicent in eadem subsistentia, et esse, quia ista communicatio non est per omnimodam identitatem, sicut in divinis, sed per communicationem participatam, quæ supponit immutationem in uno extremo, et sic aliquid est distinctum in illo ad fundandam istam relationem, tamquam actio, vel passio immutans humanitatem ad communicandum in esse personali Verbi, non per modum formæ unientis.

XXXVI. Et si instes: Quia fundamentum debet esse permanens cum relatione illa: at mutatio transivit transacta actione; ergo si non relinquit modum illum unionis cum humanitate, nihil manet, quod relationem illam fundet.

XXXVII. Respondetur, quod relationes, quæ fundantur in actione, et passione, habent pro fundamento, quando resultant, ipsum fieri, et agere, quod transit. Et relatio permanens manet fundata in ipso termino actionis, et passionis in facto esse, non absolute, sed ut connotat actionem, et passionem unde emanavit. Terminus autem incarnationis in facto esse non est modus aliquis formaliter unitivus, sed Deum esse hominem, sive illam humanitatem esse dependentem ab esse personali Verbi, et communicantem cum illo in eodem esse; et hoc semper manet cum connotatione ad actionem, per quam factum est, et sic manet fundamentum relationis.

XXXVIII. Ad secundum respondetur, in illis exemplis nihil probari, quia in reunionem animæ ad corpus, et in unione accidentis, non fit aliquis modus formaliter unitivus, sed ipsa forma per se immediate actuat materiam, vel sub-

jectum solum, supposita applicatione, quæ est actio unitiva. Quod autem in accidente detur modus inhærentiæ, non est modus, de quo loquimur, sed est modus accidentis correspondens modo subsistentiæ in substantiis; ita quod sicut per subsistentiam redditur substantia existens per se, ita per inhærentiam redditur accidens in alio, et differt inhærentia ab unione, quia unio est relatio æquiparantiæ, id est, quæ æquali modo denominat utrumque extremum. Sicut enim accidens dicitur unitum subjecto, ita subjectum dicitur unitum accidenti. Inhærentia autem non sic, sed accidens denominatur inhærens subjecto, non autem subjectum inhærens accidenti; mutatio autem, et applicatio istorum extremorum, non fit per modum formaliter unitivum, sed per ipsam actionem, et passionem, ut dictum est.

XXXIX. Ad rationem autem respondetur, quod unio non excludit formaliter subsistentiam creatam, sed subsistentia divina, ut communicata, et conjuncta naturæ, quæ formaliter reddit subsistentem naturam, formaliter etiam excludit subsistentiam creatam. Unio autem formaliter est relatio inter ista extrema, et fundamentaliter est actio, et passio illa applicans in eodem esse personali, et utrumque significatur nomine unionis.

XL. Ad confirmationem respondetur, verum esse quod requiritur aliqua mutatio in humanitate, ut dicatur unita, quæ ante unita non dicebatur: non tamen est necesse, quod ista mutatio sit modus unionis per modum formæ, præter actionem, et passionem, et extrema unita; sed sufficit, quod in fieri sit actio, et passio, qua trahitur humanitas ad esse personale Verbi, et in facto esse, sit ipsa humanitas, ut tracta, et dependens in facto esse a

Verbo. Sicut ex D. Thoma supra diximus, quod unio, ut passio est dependentia naturæ assumptæ ad assumptam, quod non importat modum formaliter communicantem unionem, sed ipsam informationem formæ in facto esse, aut terminatione personæ.

XLI. Ad tertium respondetur omnem actionem habere terminum de novo, sed non simpliciter productum; sufficit enim quod sit de novo immutatus, vel communicatus: sicut non requiritur, quod ad quamlibet actionem terminus simpliciter incipiat esse, sed sufficit, quod secundum quid, et cum addito, sicut Verbum per incarnationem non incipit esse simpliciter sed incipit esse homo. Itaque terminus, quem producit actio unitiva, non est, quod aliquid sit simpliciter, sed quod sit sub alio, seu terminatum ab alio, et sic per Incarnationem humanitas fit novo modo, non quantum ad modum substantialem de novo productum, sed quantum ad novam communicationem, et unitatem in eodem esse cum Verbo: quæ communicatio importat novam actionem, et passionem in humanitate, quæ assumitur, et trahitur ad Verbum, et novam dependentiam in facto esse in humanitate sic tracta, et assumpta. Unde actio unitiva non est necesse, quod directe sit productiva alicujus rei, vel modi tamquam formæ unientis, sed quod sit communicativa unius extremi cum alio in eodem esse, cum novo modo passionis, et dependentiæ.

XLII. Ad id vero, quod dicitur de corpore Christi in sacramento, dicimus terminum ejus non esse aliquem modum de novo productum, quia actio illa est substantialis, et sic habet pro termino substantiam, non modum: sed ejus terminus est corpus Christi non absolute in se, sed prout ex pane; sic enim est dis-

tinectus terminus formaliter a corpore Christi, ut ex sanguine, vel ex alia materia per formalem conversionem genitus, etsi utrobique sit eadem entitas, et substantia corporis Christi, tamen sub diverso modo et respectu attacta. Et hoc sufficit ut sit diversus terminus formaliter in esse termini, licet sit eadem substantia entitative. Sicut locus ratione distantiae fundat diversam rationem termini, prout acquisibilis per ascensum, vel descensum, aut circulariter, licet non addatur novus modus productus in ipso loco: sic attingitur corpus Christi de novo, non absolute, sed prout sic, id est, ut ex pane, sic enim diversa via attingitur idem terminus substantialis.

ARTICULUS IV.

Quomodo dicendus sit Christus persona composita?

I. Duo breviter in hac difficultate attingenda sunt, alterum de ipsa re, alterum de modo loquendi. De ipsa re difficultas est, quo modo intelligenda sit ista compositio, nam compositio intrinsece importat imperfectionem, et solum convenit creaturæ; non enim compositio solum importat multiplicationem, aut numerum rerum, vel unionem illarum, alias in Trinitate Personarum daretur compositio, quia ibi plures Personæ numerantur, nec solum habent unionem, sed etiam sunt unum in natura. Requiritur ergo ad compositionem aliqua dependentia, seu imperfectio quatenus componentia se habent, ut partes; ipsum autem compositum, ut resultans ex illis et ut dependens ab illis. Persona autem Verbi non est dependens ab humanitate, neque ut pars cum illa,

neque ullam habet imperfectionem; ergo nullo modo est composita.

II. Deinde non est minor difficultas in assignandis extremis hujus compositionis. Nam quatuor modis solet in ea fieri combinatio. Primo, quod extrema non sint ipsæ naturæ, vel persona, sed alia, et alia ratio subsistendi in diversis naturis, tamquam diversæ habitudines subsistendi terminatæ ad diversas naturas: secundo, quod ista compositio fiat ex natura divina, et humana, tamquam ex extremis unitis in eadem subsistentia: sic enim redditur illa persona composita, id est, subsistens in duplici natura, non in una tantum: tertio, quod fiat compositio ex natura humana, et personalitate divina, ut resultet suppositum Dei hominis: quarto, quod fere in idem redit, quod ista compositio fiat ex supposito, et natura ut ex quo, et quod.

III. Est ergo dubium, quomodo ista extrema concurrant ad compositionem personæ, loquendo de compositione propria, secundum quod resultat unum tertium ex duobus extremis componentibus, quæ vocatur compositio. Ex his: Nam de compositione alia minus propria, quæ vocatur compositio: cum his, seu compositio. Huic non est tanta difficultas, quia ista compositio nihil aliud est, quam ipsa unio, qua unum conjungitur alteri, et sic dicitur componere, quasi simul cum altero ponere: sicut subjectum componit cum accidenti, id est, illi adjungit suum esse.

IV. Est autem advertendum, quod sancti patres, ut catholicam veritatem contra Eutychetem, et Nestorium explicarent, nec ponentes unam tantum naturam cum Eutychete, neque duas Personas cum Nestorio, dixerunt Personam Christi esse compositam ex duabus naturis, quia cum persona importet offi-

cium subsistendi, si persona diceretur simplex, quantum ad formalitatem personæ videretur solum concedi unum, et simplex officium personandi, seu subsistendi in una natura divina. Unde fit, quod si etiam post incarnationem, persona non diceretur composita, sed simplex, quoad officium, et formalitatem personæ, oporteret, quod etiam post incarnationem maneret tantum una natura. Et iste est error Eutychetis; vel quod natura humana haberet suam personam creatam, et natura divina suam increatam; ita quod quælibet seorsum esset simplex, in subsistendo tamen inter se illæ personæ unirentur accidentaliter, et hic error Nestorii.

V. Ad explicandam ergo catholicam veritatem, necesse fuit dicere, Personam divinam post incarnationem non mansisse simplicem in officio, et formalitate personæ, et consequenter esse compositam, quatenus eadem persona realiter subsistit in duplici natura, et vices habet duplicis personæ: et ita sumitur ex quinto Concilio generali collatione viii, can. iv, et in sexta Synodo actione iv et xi et xiii, can. vi, et in Concilio Lateranensi, can. viii, et ex Damasceno, lib. iii fidei orthodoxæ, cap. iii et iv et v, et adducitur hic a D. Thoma in argumento Sed contra.

VI. Ex his ergo deducimus Personam Christi esse compositam compositione ex his, excludente imperfectionem, et non solum compositione cum his. Extrema autem hujus compositionis possunt duplici modo designari. Primo, quod sint duæ naturæ, humana, et divina ordinatæ ad subsistendum in eadem persona: secundo, quod natura humana, et personalitas divina, seu suppositum, et natura humana, ut quo et quod. Assignare

autem pro extremis hujus compositionis duplicem rationem subsistendi, non est propria compositio, quia illa duplex ratio subsistendi non est ipsa extrema; sed se habent, ut habitudines ipsius personalitatis Verbi, quatenus subsistit in diversis naturis; quæ relationes ex parte Verbi non sunt reales, sed rationis, et sic non possunt se habere, ut extrema hujus compositionis.

VII. Prima pars hujus conclusionis sumitur ex D. Thoma in iii, dist. vi, quæst. ii, art. iii, et ex quarto contra gentiles, cap. xlix, et ex quæstione unica de unione Verbi incarnati, articulo primo ad tertium. Et ex ejus doctrina explicatur id, quod docet hic, articulo quarto de compositione Personæ Christi post incarnationem. Supponit enim D. Thomas, quod compositio duas habet conditiones, quarum una non importat imperfectionem, altera vero importat; et prima invenitur in hac compositione Personæ Christi, non secunda. Prima conditio compositionis est, quod esse alicujus communicetur, et pertineat ad omnes partes, sive ad illa extrema, quæ sub illo toto constituuntur, quia partes non debent habere proprium esse (inquit D. Thomas) sed esse sub esse totius.

VIII. Altera conditio est, quod causetur esse totius ex adunatione, et conjunctione partium: et hæc conditio importat imperfectionem, quia importat esse causatum, et dependens a partibus. Dicit ergo D. Thomas, quod secundum primam conditionem salvatur compositio in Persona Christi, non quantum ad identitatem: neque est dicendum, quod sit solum composita, quasi cum altero posita, quia hoc modo hæretici etiam concederent Personam Christi esse compo-